



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Fasti Mariani**

**Brunner, Andreas**

**Antverpiæ, M.D.C XXX III.**

S. Varvs Mart. 19. Octobris.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70962](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-70962)

dio sui jam auctior dum domum redit,  
 à Ricciovaro equites adsunt. IVSTVS  
 postquam spelzo patrem fratremque  
 abdidit, obuius it exploratoribus. Sci-  
 licet hi mortem intentant, nã comites  
 prodat. Sed negat ille didicisse se pa-  
 rentes prodere; id vel tum ostendisse,  
 cum caput pro libertate fratris obje-  
 cisset. Dicenti hæc crudelior cæteris ca-  
 put aufert. Sed ecce truncus Martyris  
 suis ipse manibus hoc amplexatus hu-  
 mo attollit. Diffugiunt môstro percussi  
 equites, & ad tristem aspectum excla-  
 mat pater fraterque. Verum solatur  
 utrumque IVSTVS: nempe officium  
 se filii fecisse, vitam, quam à patre acce-  
 pisset, reddidisse. Demum caput suum  
 offert, mandatque, matri ferant tumu-  
 landum. Id cum factum est, tanto lu-  
 mine ædes maternas complevit, ut sua  
 etiam oculis cœca puella lux rediret,  
 puto, ut qui in IVSTO illustre siue in  
 fratrem siue patrem pietatis exemplum  
 non videt, etiam cœcis minus se videre  
 videat. *Ex Suario.*

S. V A R V S M A R T. 19. Octobris.

Vidit & persæpè laudavit Ægyptus  
 VARI militis virtutem, sed nun-  
 quam magis, quàm cum in ipsum Im-  
 peratorem suum Maximianum pugna-  
 vit, sine perfidiã, quia pro fide. Pug-  
 nã verò occasio hæc fuit. Septemge-

O O 2 mini

mini martyres è vinculis libertatem Christianam propugnabant. His dum VARVS inservit, ecce uni ex eorum numero cælum beatâ morte vacationem à militiâ donat. Sed ne numero suo fortissima cohors destitueretur, ultrò VARVS noster in demortui stationem succedit, mox Christianæ fortitudinis ingentia documēta contra equileum, scorpiones & plumbatas edit, nec prius è pugnâ quàm mortuus & victor abit, viâ ingenti & fortissima animæ per novaculâ discissum ventrem factâ. Corpus Martyris sepultum in canibus volebat tyrannus; sed Cleopatra nobilis matrona secum hoc in Palestina avexit, toto templo (quod illi postea extruxit) tumulandum. Finem ubi ædificandi fecit, ausa mercedem à Martyre sperare, induxit in templum filium, petiitque, optima quæque illi VARVS à DEO impetraret. Mox alia omnia, quàm orasset fieri putavit, cum mori filium sub oculis suis vidit. Tunc verò lacrimis mater & singultibus cælum accusare, VARVM ingratitude notare. Sed hic unâ cum filio multâ gloriâ vestito, & coronato visus Cleopatram, docuit nihil petere filiis matris, nihil dare cælum posse beatius quàm mortem beatam. Ex *Surio*.